



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Ioannis Azorii Lorcitani, Societatis Iesv Presbyteri Theologi, Institvtiones Morales

In Qvibus Vnivers[a]e Qvaestiones ad Conscientiam recte aut prauè
factorum pertinentes, breuiter tractantur

Azor, Juan

Coloniae Agrippinae, 1612

9 De habente ratum homicidium factum ab alio homine.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14014

ram facultatem, tunc Respublica Paganorum tunc regi subiecta ius naturale habet tuendi se contra iniusticiam Regis: & si commodè aliter se tueri nisi bello, & armis habet, quia ius est tuendi innocentes à morte, & ab iniusticia, siue iniuris contra eos factis. Tertio, in prædicto euentu si Respublica Paganorum contra Principem suum vocaret Principem Christianorum ad sui auxilium, & defensionem, tunc Christianus Princeps licet bello, & armis possit eam inuadere. Nam ius habemus patrocinium ferendi contra iniurias, quæ illi inferuntur. Quarto, si Respublica Paganorum in prædicto euentu vellet Principem Christianum eligere in suum Regem, licet princeps Christianus possit consentire, aliter non: quia in prædicto euentu potestas creandi Regem, deuoluitur iure naturali ad Rempublicam, quæ in Regem suum ius transfertur.

Sexta difficultas est, quot sint iustæ causæ, quibus Paganis licet possint debellari à Christiano Principe? Respondeo esse multas. Primo, si fidem Christi impediunt, vel blasphemias, vel peruersiones, vel persecutionibus, Tabien. Syluester, Caeteranus, Couarruias, Armilla, ubi supra, ex S. Thoma 2. 2. q. 10. ar. 8. Item secundo, si eorum subditos iam ad Christum conuersos conatur auertere à religione Christiana. Tertio, si Christianos offendunt. Quarto, si Christum verbis, vel factis expresse, & directè contumeliosè tractant. Quinto, si Euangelicos prædicatores impediunt, vel persequuntur, quia ius est Christianis ubique gentium Euangelium prædicandi. Sexto, si subditos metu, vel vi, vel mendacijs deterrent à religione Christiana recipienda. Septimo, si opus ierit bellum ad tuendos, & conferuandos fideles, qui ad Christum sunt conuersi, vel baptismum receperunt.

Trigesimo quarto queritur, Quot & quæ possint esse in vniuersum iustæ causæ belli? Maior in 4. Dist. 15. numerat ex Sacris litteris multas. Prima, quando Deus publicè blasphematur ob idololatriam Deuter. 12. Secunda, ob discessum à cultu Dei, Deut. 13. Tertia, quia fidelitas temporalis dominij deletur, 4. Reg. 2. Quarta, ob rebellionem 2. Reg. 20. Quinta, quia malefactores defenduntur. Iud. 20. Sexta, quia iniuria publica Principi irrogatur. 2. Reg. 10. Septima, quia res propria repetitur. 2. Reg. 3. 8. vt hostis repellatur. 2. Reg. 8. Nona, vt hostis conurgens, intra confinia sua contineatur, & sit transitus iure gentium. Liber Numerorum cap. 21. Decima, vt amicus ab hostibus eripiat, Gen. 14. cum de Loth sermo est ab hostibus capto, & ab Abraham liberato. Duodecima, quia Princeps est tyrannus. 1. Machab. 8. 2. eadem causis colligit Castren. lib. 2. de iustitia Hæret. punit. cap. 14. sed de his iudicandum est iuxta ea, quæ dixi supra in dubiis proximè citatis, de bello contra Hæreticos, Paganos, & Saracenos.

Trigesimo quinto queritur, An iure bellum sit de iustis hostibus tributa, & alia onera personalia, & realia imponere? Respondeo, esse licitum. Victoria num. 35.

Trigesimo sexto queritur, An iure bellum sit de iustis hostibus Principes deponere, nouos confirmare, & sibi etiam aliquando regna, & prouincias assumere? Respondeo esse licitum, Victoria num. 38.

Cetera, quæ pertinent ad restitutionem eorum, quæ bello capiuntur, dicemus in Tract. de statibus personarum.

De mandante Homicidium.

CAPVT VIII.

NOTANDVM primò, si quis homicidium mandauit fieri, ipsi imputatur. ita communis opinio: lege Syluestrum in verb. Homicidium t. q. 7. Nauarr. cap. 27. nu. 233. Couar. in Clem. Si furiosus, de Homicid. par. 2. §. 2. Angelum verb. Homicidium num. 9. & seq.

Secundò notandum, si quis nomine suo mandauit homicidium, & ante effectum expresse reuocauit mandatum, & prohibuit fieri homicidium, liber est ab homicidio. Ita communis opinio.

Instit. Moral. Pars 3.

Tertio notandum, si quis mandauit homicidium, & ante effectum tacite reuocauit mandatum, id sciens mandatario, liber est ab homicidij culpa mandator. v. g. mandauit Titius famulo, vt Sempronium occideret, sed ante effectum homicidij, pacem, aut familiaritatem, aut affinitatem inuit cum Sempronio Titius, id sciens famulo, tunc si famulus occidat Sempronium, non imputatur Titio homicidium. Sylu. verb. Homicidium, t. q. 7. & communis opinio. Secus est, si mandatarius ignoret reuocationem, aut expresse, aut tacitam: tunc enim etiam mandator reus erit homicidij.

Quarto notandum: Aliquando quis tacite solum dicitur mandasse homicidium. v. g. pater, aut dominus passus iniuriam dixit filio, vel famulo, non redeas in domum meam donec aliquid noui audiam de te, & filius, vel famulus occidit eum, à quo pater, vel dominus fuerat iniuria affectus, tunc mandator reus est homicidij. Couarr. in Relect. Clem. si furiosus de Hom. p. 2. §. 1. n. 3. & communis opinio.

Quinto notandum, Mandator non tenetur de homicidio perpetrato à mandatario contra mandati formam, aut præter eam, vbi facillimum mandataro fuit mandati limites obseruare. v. g. mandauit Titius alteri, vt Sempronium occideret extra prætorium, aut domum publicam, ille verò occidit intra prætorium, non tenetur mandator de percussione intra prætorium, & de damnis inde secutus ex hoc, quod facta est percussio intra prætorium. Item mandauit Titius alteri, vt Sempronium occideret, & nihil aliud mandauit, mandatarius verò vt occideret, domum incendit, vbi Sempronius commorabatur, vt ipsum exueret, non tenetur Titius de incendio illo, quia factum est à mandatario præter mandati formam. Couar. ubi sup. & com. opin.

Sextò notandum, Mandauit Titius alteri, vt occideret Sempronium, & mandatarius per errorem occidit Caium, quem putauit esse Sempronium, mandator tenetur de Homicidio hominis, non tamen de homicidio Caii.

Septimò notandum: Mandauit Titius alteri, vt occideret Sempronium laicum, mandatarius errore occidit Seium clericum, quem putauit esse Sempronium laicum, habitu tamen clericali vestitum, tenetur Titius de homicidio hominis, non tamen de homicidio clerici.

Octauò notandum: Mandauit Titius alteri, vt verberaret, vel percuteret, vel eaperet, vel in carcerem coniceret Sempronium, expresse iubendo ne occideret, & caueret ne occideretur, tunc licet aliquando in aliquo casu liber esse possit ab homicidio, non tamen semper liber est ab irregularitate, nec in totum ab onere restitutionis, quando nimirum priora illa opera sunt periculosa, aut quando mors illa secuta præuideri potuit. Couar. Nauarr. Sylu. locis allatis.

Nonò est notandum: Prelatus habens iurisdictionem temporalem, & imponens officiali suo, vt super tali maleficio, vel delicto inquirat, & iustitiam exequatur, non est homicida, nec irregularis, si inde sequatur homicidij. e. Episcopus, in Clerici, vel Monachi in 8.

De Habente ratum Homicidium nomine suo factum ab alio.

CAPVT IX.

NOTANDVM primò, si quis ratum habet homicidium nomine suo factum ab alio, eum sine dubio peccare, quando sibi placet homicidium factum ab alio, & & ita consentit in eo.

Sed est hic dubium, Primò, quinam teneatur ad restitutionem homicidij? In quo sunt due opinionēs: de qua re dicemus in 7. præcepto in materia de Restitutione.

Alterum dubium, An fiat irregularis, sicut ex iure canonico fit excommunicatus ipso facto, si ratum habet homicidium clerici factum nomine suo ab alio? In quo sunt opinionēs: de qua re dicitur in Tract. de Censuris, & pæn. Eccl. in materia de Irregulari. lege Sylu. Nau. Cou. Ang. ubi supra.

Secundò notandum: Vt is, qui ratum habet homicidium nomine suo perpetratum, incurrat excommunicationem, aut irregularitatem, requirit certas conditiones, de quibus in locis sup. citat.

G 3

De